

## **Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**

### **Tekst oficjalny**

*Commune incliti Poloniae Regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque*, ed. I. Lascius, Cracoviae 1506, k. 178v–179

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuły 14–15 [Gn. 14]

[14] De dotalicio feminarum et provisione earum post mortem mariti.

Si aliquis ducit uxorem et si vir de hac luce decesserit, uxor nihil habet in suis bonis, nisi dederit sibi pro dotalitio aut vite provisionem pro eius vita in iudicio bannito.

Nulla mulier potest vite provisionem, nec dotalitium hereditarie observare. Et cum de hac luce decedit, ad heredes revertitur sui mariti.

Quando autem maritus nihil dederit mulieri in suis bonis, in possessione bonorum sui mariti debet permanere, et pueri sibi necessaria ministrabunt, quousque in vidualitate et sine marito permanere voluerit. <sup>[1]</sup>

Si vir oves habuerit, has mulier recipiet ad suppellectilem. Et si pueri vellent dotalitium mulieri infringere, servare potest testimonio virorum ac mulierum metseptima, qui tunc presentes fuerunt.

Sed deservitum parcium et rationabile debitum debeant solvi de bonis mortui viri pre dotalitio, et hoc si mulier fuerit dotata pecuniis in paratis. Si autem dotata fuerit in hereditate propria, tunc suum dotalitium pre aliis debitis iure valeat obtinere. Etiam quivis vir habens mansionem infra ius municipale, ille sue contorali dare potest pro dotalitio suam propriam hereditatem, quam in posse habeat alienandi, et etiam in aliis [k. 179] bonis suis mobilibus in quantum voluerit.

[15] De pueris hereditantibus et exhereditatis.

Si vir pueros habuerit, aut mulier, quicumque ex hiis exhereditati fuerint, si moritur vir, hii pueri, qui in hereditate patris sunt, recipiunt bona et non hii, qui exhereditati sunt, sed hereditatem vendere non possunt absque coheredum consensu. Hii pueri, qui in potestate patris mortis tempore fuerunt, si ex iis unus moritur, istius partem dividant inter se equaliter, tam exhereditati, quam etiam domestici.

<sup>1</sup> na marginesie: De quo supra folio xxix et folio xlii

[hasła: żona, mąż, wdowa, wiano, sąd wyłożony, uposażenie, gerada, dziecko, współprzysiężnik, samosiódni, przysięga, ruchomość, wydzielony, dziedzictwo, spadek]